

spectemus usum, qui est optimus legum interpres, nunquam visum est, vel auditum in Ecclesia, quod baptismus aliter fuerit administratus, quam ab uno abluente et profrente formam, et in hoc sensu intellecta sunt verba Christi: *Baptizantes eos in nomine Patris, etc.*, quod scilicet, qui baptizat, id faciat invocando Trinitatem super actionem suam. Rursus, si spectemus formam Latinæ Ecclesiæ (quæ debet esse regula, et mensura cæterarum), in ea satis significatur, hunc fuisse sensum institutionis Christi. Præterea habet institutio sic explicata plenior et convenientiorem significationem, quo sensu accipienda est prima ratio D. Thomæ, tanquam congruentia quædam institutionis. Cui etiam addi potest, fuisse conveniens, spirituale regenerationem ab una tantum persona perfici posse, ut in hoc etiam esset diversa a generatione carnali, et quodammodo similior spirituali Dei generationi. Ac tandem hoc fuit etiam conveniens ad evitanda incommoda, et occasiones illudendi sacramento, partiendo seu dividendo inter se illud ministerium. Et hoc magis constabit respondendo ad fundamentum contrarie sententiae.

13. *Ad fundamentum contrarie sententie respondeatur.* — Ad primam ergo illius partem, fatemur, hoc non pendere ex solis rerum naturis, sed ex institutione; cur autem haec fuerit convenientior institutio, jam explicatum est. Atque eadem institutio reperiatur in omnibus similibus sacramentis, ut sunt confirmationis et extrema unctionis. Ea vero quæ in argumento adducuntur, non sunt similia, quia in eis materia sacramenti non est proprius actus ministri, ex intentione ejus determinandus et sanctificandus per formam, ut cum ea unum sacramentum constitutum; sed in matrimonio formaliter ac proprie materia est traditio, forma vero acceptatio mutua et exterius expressa. Et ideo modus talis sacramenti, et res ipsæ, in quibus fundatur, postulant distinctionem personarum, quia oportet, ut qui acceptat, alius sit ab eo, qui tradit, et forma ipsa acceptandi talis est, ut ex se supponat traditionem, ut ab altero oblatam. Et idem proportionaliter considerari potest in sacramento poenitentiae, quod per modum judicij exercetur, in quo oportet reum, et judicem distingui, et confessionem fieri a reo, non a judge, sed supponi potius, ut in eam cadat sententia judicis. At vero in hoc sacramento (et idem est in confirmatione et sacra unctione) ipse minister exercet

totam actionem, quæ est materia sacramenti, et quæ explicatur in forma, ut per eam sanctificetur et determinetur ad significationem sacramentalem. Et ideo oportet, ut ipsem, qui actionem exercet, suis verbis, suaque intentione proprium actum informet. Ad secundam et tertiam partem illius fundamenti jam responsum est.

14. Ad ultimam vero confirmationem de necessitate respondet, nullam hic esse, si moraliter res consideretur, prout institutio sacramenti requirit; alioqui pari modo dici posset, non esse necessaria verba semper, quia potest esse casus necessitatis, in quo nemo loqui possit, sed tantum efficere nutus, vel signa, quod Paludanus censet probabile; re tamen vera non est, sed omnino contra substantiam sacramenti; alioqui etiam negari posset necessitas aquæ, quia potest occurrere casus, in quo etiam aqua deficiat. Sicut ergo propter hujusmodi eventus rarissimos, non est facta exceptio in institutione baptismi, sed generaliter facta est in tali materia et tali forma, ita etiam in tali ministro. Quod si extra casum necessitatis nullus auderet approbare baptismum illo modo datum a duobus, ita neque in casu necessitatis censendus est validus, quia veritas et substantia sacramenti, ut factum teneat, non aliam formam, materiam, vel ministerium requirit extra casum necessitatis, quam in illo. Non nego tamen, si occurreret talis necessitatis articulus, posse juxta aliam sententiam conferri baptismum, quia melius est accipere baptismum dubium, et aliquo modo probabile, quam omnino nullum; esset tamen ille baptismus sub conditione iterandus, si postea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum sacramentum ab uno et eodem ministro.

15. *Primum corollarium.* — Ex his in universum sequitur primo, quacumque ratione duæ personæ concurrant ad sacramentum baptismi confiendum, ut partiales ministri, dividentes inter se externum baptismi ministerium, nihil conficiere. Probatur, tum rationibus factis, tum etiam inductione, quæ ex dictis fieri potest, quia ostensum est, non posse materiam applicari ab uno, et formam proferri ab alio. Obiter etiam probatum est, non posse partem formæ ab uno proferri, partem vero ab alio. Atque idem declaratum est de materia, quæ subest formæ, et per eam significatur. Non potest autem excogitari praeter hos alius modus dividendi hoc ministerium inter plures personas. Denique, cum

non sit major ratio de uno, quam de alio, excluso uno, pari ratione quilibet alias modus rejiciendus est.

16. *Secundum corollarium.* — Secundo sequitur, etiamsi exterius non dividant plures personæ inter se ministerium baptizandi, si tamen interiori intentione illud dividant, ita ut neuter velit baptizare, ut totalis minister, sed solum ut partialis, et ut componens cum altero unum integrum ministerium, nullum fieri sacramentum. Haec est sententia D. Thomæ et communior, et sequitur consequenter ex dictis. Nam probabilius existimavimus, Christi institutionem fuisse, ut minister baptismi integer et totalis sit illa persona, quæ abluit et profert formam; ergo illa intentio non baptizandi nisi partialiter est contra Christi institutionem. Deinde est contra significationem et veritatem formæ. Nam per eam significat, qui illam profert, se applicare omnia necessaria ad baptismum confiendum, scilicet, ablutionem integrum, et consequenter integrum formam. Ergo, vel habet intentionem veritati formæ contrariam, et ita nihil efficit; vel revera vult sua actione applicare totam materiam sacramenti proferendo totam formam, et consequenter vult adhibere totum ministerium necessarium ad confiendum sacramentum, quia minister sacramenti nihil aliud efficit, quod ad substantiam sacramenti spectet, nisi applicationem materiæ et formæ. Ergo nunquam potest efficere sacramentum tanquam minister partialis. Et hoc est, quod D. Thomas dicit, quod baptismus, ut procedit a persona baptizante, est actus perfectus; in quo non petit principium, ut alii objiciunt, quia id non sumit sine probatione, sed ex verbis formæ id colligit, ut declaravimus. Et eodem sensu dixit D. Thomas, si duo baptizent sub hac forma: *Nos te baptizamus, sacramentum esse nullum.* Intelligendum enim hoc est, si forma faciat sensum complexivum, accommodatum illi intentioni, qua intendunt solum partialiter baptizare. Secus enim esset, si talem formam proferrent in sensu copulativo, cum recta intentione integre baptizandi; nam tunc forma esset sufficiens, quamvis in ea adderetur aliquid non necessarium, scilicet, quod alius simul tecum baptizet, quod in predicto sensu non est contra substantiam sacramenti, ut ex 4 parte hujus sectionis constat.

17. Contra hanc vero illationem opinantur Marsilius et Cajetanus paulo ante citati, et in hoc cum eis concordat Durand., in 4,

dist. 3, quest. 3, circa finem, et in eamdem sententiam inclinat Palud. ibi, d. quest. 2, art. 3. Nullam tamen novam rationem afferrunt, cui satisfacere necessarium sit. Nam, quod aiunt, non esse de ratione baptismi, quod ab uno tantum fiat, vel falsum est, vel non est ad rem, quia illa dictio exclusiva (tum) duplum sensum reddere potest. Prior est, ut excludat omnem alium simul baptizantem eamdem personam, et hoc modo verum est, non esse de ratione baptismi, ut unus solus baptizet, ut in prima parte sectionis dictum est. Hic tamen sensus nihil refert ad rem præsentem, quia non agimus de consortio plurium ministrorum totalium, sed de compositione unius ministri totalis ex pluribus personis partialiter tantum concurrentibus; eo vel maxime, quod quando plures illo modo baptizant, valde probabile sit, plura fieri baptismata, et ita nullum baptismum fieri a pluribus. Alius ergo sensus illius exclusivæ esse potest, non esse de ratione baptismi, ut una persona sit integer minister sacramenti, ita ut totum ministerium ab illa sufficienter fiat sine concursu per se, vel dependentia ab altero. Et hoc modo falsum est, non esse de ratione baptismi, ut ab una tantum persona fiat. Atque haec sufficiente de ministro baptismi; nam alia quæstio, quæ hic disputari posset, an minister baptismi debeat esse persona distincta ab eo, qui baptizatur, et consequenter, an idem possit baptizare seipsum, haec (inquit) quæstio et per se facilis est, nam extra omnem controversiam est, neminem posse baptizare seipsum; et in superioribus, tractando de forma, sufficienter tacta est, et latius in dispensatione ministris sacramentorum in genere.

ARTICULUS VII.

Utrum in baptismō requiratur aliquis, qui baptizatum levet de sacro fonte (inf. art. 8, ad 1).

4. *Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod in baptismō non requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte levet. Baptismus enim noster per baptismum Christi consecratur, et ei conformatur. Sed Christus baptizatus, non est ab aliquo de fonte susceptus, sed sicut dicitur Matth. 2: Baptizatus Jesus confessim ascendit de aqua. Ergo videtur, quod nec in aliorum baptismō requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.*

2. *Præterea, baptismus est spiritualis rege-*

neratio, ut dictum est (art. 3 hujus quæst). Sed in carnali generatione non requiritur, nisi principium activum, quod est pater, et principium passivum quod est mater. Igitur cum in baptismo locum patris obtineat ille, qui baptizat, locum autem matris, ipsa aqua baptismi, ut Augustinus dicit (in serm. 1 Dominicæ infra oct. Epiphan., tom. 10), videatur, quod non requiratur aliquis alius, qui baptizatum de sacro fonte levet.

3. Præterea, in sacramentis Ecclesiæ, nihil derisorium fieri debet. Sed hoc derisorium videtur, quod adulti baptizati, qui seipsos sustentare possunt et de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur. Ergo videtur quod non requiratur aliquis præcipue in baptismo adulorum, qui baptizatum de sacro fonte levet.

Sed contra est, quod Dionys. dicit (cap. 2, p. 2, de Eccl. Hier.), quod sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptori et duci.

Respondeo dicendum, quod spiritualis regeneration, quæ fit per baptismum, assimilatur quodam modo generationi carnali. Unde dicitur 1 Pet. 2: *Sicut modo geniti infantes rationabiles et sine dolo, lac concupiscite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptisci requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum, quasi novitum in fide, de his, quæ pertinent ad fidem et vitam christianam.* Ad quod Prælati Ecclesiæ vacare non possunt, circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novitii indigent speciali cura præter communem. Et ideo requiritur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam. Et hoc est, quod Dionysius dicit Eccles. Hierarch. (cap. ult., non multum procul a fin.): *Divinis nostris ducibus, id est, Apostolis, ad mentem venit, et visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri parentes traherent puerum cuidam docto in divinis paedagogo et reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre et salvationis sanctæ susceptore.*

Ad 1 ergo dicendum, quod Christus non est baptizatus, ut ipse regeneraretur, sed ut alios regeneraret. Et ideo post baptismum non indiguit paedagogo tanquam parvulus.

Ad 2, dicendum, quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate, nisi pater et mater. Sed ad facilem partum et educatio-

nem pueri convenientem, requiritur obstetrica et nutrix et paedagogus, quorum vicem implet in baptismo ille, qui puerum de sacro fonte levat. Unde non est de necessitate sacramenti; sed unus solus potest aliquem baptizare, necessitate imminentे.

Ad 3, dicendum, quod baptizatus non suscipitur a patrino de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem, sed propter imbecillitatem spiritualem, ut dictum est (in corp. art.).

COMMENTARIUS.

1. Hic articulus magis pertinet ad cæremoniæ, quam ad ea, quæ sunt de substantia et de necessitate baptismi; tamen, quia hæc persona, de qua D. Thom. hic disputat, quæ susceptor, sponsor, aut patrinus vocari solet, aliquid ministerium exhibet in solenni baptismo, ideo D. Thom. hunc et sequentem articulum huic quæstiōni de ministro adjunxit. Est ergo imprimis advertendum, ex institutione et præcepto Ecclesiæ statutum esse, ut præter baptizantem et baptizatum adhibeat alia persona in baptismo solenni, quæ baptizatum suscipiat de sacro fonte, quam consuetudinem fuisse antiquissimam constat ex Dionys., c. 2, de Eccles. Hier., et ex Tertullian., lib. de Baptismo, c. 48, et August., 1 de Peccat. merit., c. 34; et de eodem videtur loqui Justinus, quæst. 56, ad Gent., cum dicit, baptizatum ab aliquo offerri ad baptismum. Munus autem hujus susceptoris præcipuum est, ut puerum baptizatum, de manu baptizantis, veluti sub tutela et cura sua suscipiat, ut colligitur ex citatis Patribus, et ex capitulo In catechismo, et sequentibus, de Consecrat., dist. 4, et ex Concil. Trident., sess. 24, c. 2 de Reformat. In quibus locis, semper hoc munus explicatur per actum suscipendi baptizatum; non oportet autem hanc susceptionem solum materialiter intelligere, seu corporaliter, sed potissimum intelligenda est moraliter, quia sub cura sua alterum suscipit, quamvis necessarius etiam sit aliquis corporalis contactus, quo munus illud exterius exerceatur, et significetur ipsa moralis susceptio, et obligatio, et ideo solet hic susceptor vocari fidejussor, ut patet ex Dion. supra, et ex c. Vos ante, de Consecr., dist. 4, et ex August., serm. 116, 163, et serm. 215 de Tempore, et sponsor, ut patet ex Tertul. supra, et sumitur ex Concil. Parisiensi. 1, lib. 1, c. 54, et fidei doctor,

apud August., ep. 23, quia suscipiendo baptizatum virtualiter fidejubet, et promittit se habiturum curam salutis spiritualis illius. Quocirca licet possit susceptor in baptismo solenni alios actus exercere, ut tenendo baptizatum, dum baptizatur, vel pro illo respondendo, tamen proprius illius actus et maxime necessarius est, quod illum suscipiat de manu baptizantis.

2. Atque hinc colligitur ratio hujus institutionis, quam D. Thomas in articulo sufficienter attigit, scilicet quia homo, recens baptizatus, est veluti parvulus nuper genitus, qui paedagogo indiget, a quo instruatur; ad hoc ergo munus assumitur susceptor baptismi, eo quod spiritualis pater, qui hominem in Christo regenerat baptizando illum, non semper potest per seipsum hoc munus exercere, et ideo susceptor convenienter ut fidejussor adhibetur, quo Ecclesia securior sit de fide hominis regenerati. Atque hinc in citatis Ecclesiasticis decretis cautum est, ut hic susceptor idoneus sit atque expeditus ad explendum munus, ad quod assumitur. Ita statuitur in d. Concil. Paris., ubi dicitur hujusmodi patronos (ita enim susceptores nominat) debere, et vim tanti sacramenti, et quid pro aliis spoponderint, intelligere; et ibi specialiter removentur ab hoc munere, qui propter reatum suum publica poenitentia sunt muletati, donec per dignam poenitentiae satisfactionem, reconciliationem mereantur. Et in Concil. Mogunt., c. 47, quod habetur in c. de Baptismate, de Consecr., dist. 4, præcipitur, ut nemo possit alterum de baptismo suscipere, nisi ipse baptizatus sit; atque eadem ratione nullus baptizatus potest ad idem munus admitti, qui sit haeticus, quia est omnino ineptus ad hujusmodi ministerium. Aliam vero ob causam statuitur in Concil. Altisiodorensi, c. 28, ut monachi et abbates hoc munus non exerceant, quia nimurum hæc cura, et sollicitudo ab eorum statu est aliena. Habetur in cap. Non licet, de Consecr., dist. 4, atque idem refertur ex decretis Eugen. IV, in cap. Placet, 2, 16, quæst. 1. De fœminis quidam dubitant, an possint susceptoris munus obire. Sed certum est, posse, ut constat ex usu, et antiqua traditione, apud Augustinum, serm. 163 de Tempore, cap. Vos ante, de Consecr., dist. 4, et cap. Quod autem, 30, quæst. 4. Ubi Urban. Papa dicit, maritum et uxorem non debere eumdem de fonte suscipere, hoc tamen usu receptum non est. Additur vero in Concil. Nicæn., cap. 22,

apud Turri.: *Ut viri non teneant in baptismo fœminas, neque mulieres teneant mares;* quod sane in baptismo adulorum satis prudenter cautum erat, nunc vero in baptismo infantium non servatur.

3. Ultimo tandem advertendum est, olim statutum fuisse, ut in baptismo unus tantum sit unius baptizati susceptor, ut patet ex cap. In catechismo, et c. Non plures, de Consecr., dist. 4, quæ referuntur ex Decretis Eugenii et Leonis Pontificum. Postea vero videtur consuetudine introductum, ut plures ad eumdem baptizatum suscipiendum admitterentur, ut colligitur ex cap. Quamvis, de Cognat. spirit., in 6. Jam vero in Concil. Trident., sess. 24, cap. 2 de Reformat. matrim., statutum est, ut unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum, unus et una baptizatum de baptismo suscipiant; et parocho præcipit, ut diligenter de illis inquirat, et eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, de qua in seq. art. pauca addemus.

ARTICULUS VIII.

Utrum ille, qui aliquem levat de sacro fonte, teneatur ad ejus instructionem (infra, quæst. 71, art. 4, ad 3. Et 4, dist. 6, quæst. 2, art. 2, quæst. 2, corp. et ad 3).

1. Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad ejus instructionem. Quia nullus potest instruere, nisi instructus. Sed etiam quidam non instructi, sed simplices admittunt levare aliquem de sacro fonte. Ergo ille, qui suscipit baptizatum, non obligatur ad ejus instructionem.

2. Præterea, filius magis potest a patre instrui quam ab alio extraneo; nam filius habet a patre esse et nutrimentum et disciplinam, ut Philos. dicit (lib. 8 Ethic., cap. 12, circ. med., et cap. 11, non longe a princ.). Si ergo ille, qui suscipit baptizatum, teneretur eum instruere, magis esset conveniens, quod pater carnalis filium suum de fonte suscipiat, quam aliquis alius. Quod tamen videtur esse prohibutum, ut habetur in Decret., 30, quæst. 1, cap. Pervenit., et cap. Dictum est.

3. Præterea, plures magis possunt instituere, quam unus solus. Si ergo ille, qui suscipit aliquem baptizatum, teneretur eum instruere, magis deberent plures suscipere, quam unus solus, cuius contrarium habetur

ex Decreto Leonis Papæ (c. 101, de Cons., d. 4): cipalis susceptor. Alii tamen possunt admitti, non plures, inquit, ad suscipiendum de baptismo infantem, quam unus accedant, sive vir, sive mulier.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in quodam sermone Paschali (hoc dictum August. refertur de Consecr., dist. 4, cap. 204; incipit: Hodierna dies): *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismō suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussiones apud Deum extitisse pro illis, quos vise stis de sacro fonte suscipere.*

Respondeo dicendum, quod unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accipit. Dictum est autem (art. præced.), quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assument sibi officium pædagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur; sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt hac cura excusari, præsumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum, saluti spirituallium filiorum curam impendere.

Ad primum ergo dicendum, quod ubi immixeret periculum, oporteret esse aliquem doctum in divinis, sicut Dionys. dicit (cap. 7 Eccl. Hierar., non procul a fin.), qui baptizatum de sacro fonte susciperet. Sed ubi hoc periculum non imminet, propter hoc quod pueri nutriuntur inter catholicos, admittuntur quicumque ad hoc officium, quia ea, quæ pertinent ad christianam vitam et fidem, publice omnibus nota sunt. Et tamen ille, qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum, ut est declaratum in Concil. Moguntino (refertur de Consecr., dist. 2, cap. 101 In baptismate), licet non baptizatus possit baptizare, quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis, sicut dictum est (art. præced.).

Ad secundum dicendum, quod sicut est alia generatio spiritualis a carnali, ita etiam debet esse alia disciplina, secundum illud Hebr. 12: Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Et ideo aliis debet esse pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas contrarium exigit.

Ad tertium dicendum, quod confusio esset disciplinæ, nisi esset unus principalis instrutor. Et ideo in baptismō unus debet esse prin-

cipalis susceptor. Alii tamen possunt admitti, quasi coadjutores.

COMMENTARIUS.

1. *D. Thomæ ratio.* — Hic etiam articulus ad partem moralem pertinebat; tamen, quia brevem continet materiam, hic poterit breviter expediri. Respondet ergo D. Thomas teneri susceptorem ad instruendum baptizatum in rebus fidei et morum, quæ ad salutem ejus sunt necessariæ. Quæ est doctrina omnium veterum, quos præcedenti articulo citavimus, et exprimitur in cap. Vos autem, de Consecr., distinct. 4. Et ratio, quam D. Thomas subjungit, est aperta, quia unusquisque tenetur munus illud explorare, quod assumit. Item quia, ut ex dictis constat, ibi est quædam virtualis promissio et fidejussio, quæ obligationem inducit. Addit vero D. Thomas obligationem hanc, cum sit illi similis, quæ ex affirmativo præcepto oritur, non semper urgere, sed temporibus opportunitis et necessariis, id est, si baptizatus hac cura patrini et instructione indiget, ut, v. gr., si infideles habeat parentes, vel ita negligentes, ut filium non instruant; at vero si puer est inter catholicos natus et enutritus, et a parentibus, vel tutoribus, vel dominis, si servus sit, vel aliis hujusmodi sufficienter instrui credatur, facile possunt susceptores ab hujusmodi obligatione excusari. Quo fit, ut inter catholicos raro urgeat hæc obligatio, quamvis cavendum sit, ne hoc munus jam ita suscipiat et negligenter servetur, ut sit pura cærementia exterior sine ullo fructu. Denique obligatio hæc non est perpetua existimanda, sed tamdiu durare censenda est, donec baptizatus in rebus fidei ad ipsum pertinentibus sit sufficienter instructus, quod si semel sufficienter fiat, cessabit susceptoris obligatio, quia jam baptizatus censetur esse extra statum infantiae, in quo pædagogo indigebat. Atque in hunc modum explicanda sunt, quæ traduntur in d. cap. Vos autem, de Consecr., dist. 4.

2. Ultimo est in hac materia advertendum, ex hoc munere et officio susceptoris oriri, ecclesiastica etiam institutione, essentiali impedimentum matrimonii, quod spiritualis cognatio appellatur, quod ideo fortasse introductum est, ut significaretur, quam puro et spirituali affectu sit hoc munus suscipiendum, et quam paterno amore sit prosecuturus patrinus suum spiritualem filium; ita

enim eos Patres appellant, ut patet apud Augustinum, d. sermon. 116 de Temp.; et Nicol. P., ad cons. Bulg., cap. 2: *Ita (inquit) diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem; quinimo quanto præstantior est spiritus carne, tanto magis spiritualis pater est a spirituali filio diligendus.* Unde addit inferius: *Est tamen alia inter eos gratuita et sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitatis; sed potius habenda spiritualis proximitas.* Propter hanc ergo causam, jure ecclesiastico vetitum est matrimonium inter has personas, ut patet ex Concil. Mog., sub Carol. Mag., cap. 53, et ex can. 53 Trul., et can. 21 Concil. Nic., apud Turrian. Est autem hoc impedimentum, non tantum impediens, ne matrimonium licite contrahi possit inter eos, qui hoc impedimento affecti sunt; verum etiam dirimens seu irritans illud, ut multis juribus cautum est, sub titulo de Cognat. spirituali, lib. 3, et lib. 6 Decretal., et in cap. Pitacium, et cap. Super quibus, et cap. Illud, 30, quæst. 3, in quibus juribus multa traduntur de personis, inter quas hoc impedimentum contrahitur. Quæ omnia novo jure Concilii Tridentini limitata sunt, cui jam standum est, et ideo satis erit, illud breviter proponere.

3. Primo ergo statuit Concilium, ut tantum unus vel ad summum duo, vir scilicet et fœmina, sint capaces hujus impedimenti, in quo derogat, quod decretum fuerat in cap. Quamvis, de Cognat. spirit., in 6, ubi statutum fuerat sine ulla determinatione seu limitatione personarum, quod si plures ad suscipiendum accedunt, omnes hoc impedimentum contrahant; Concilium autem voluit, ut ad summum duæ personæ possint illud contrahere; et ideo præcipit, ut parochi diligenter habeant curam designandi personam vel personas ad summum duas, ad hoc munus assumendas; nam etiam si contingat plures alias tangere vel suscipere baptizatum, revera non sunt susceptores, nec contrahunt hoc impedimentum.

4. *Dubitatio.* — *Respondetur.* — *Alia dubitatio.* — *Respondetur.* — Sed quæres, an quando sunt duæ personæ, necesse sit, illas esse virum et fœminam, an vero possint esse duo viri vel duæ fœminæ. Respondetur standum esse in rigore verbis Concilii statuentis, ut tantum sit unus vel una, vel ad summum unus et una; non ergo possunt esse duo viri vel duæ fœminæ; cum enim hæc res pendeat ex jure positivo, verbis ejus standum est,

præterquam quod non expedit hæc impedimenta ampliari, sed potius restringi. Sed quæres rursus, quid si de facto duo viri vel duæ fœminæ baptizatum suscipient, quis eorum cognitionem spiritualem contrahet. Et idem quæri potest, si plures viri et plures fœminæ simul admittantur ad hoc munus de facto, licet non de jure, cum non possint omnes contrahere hoc impedimentum, quinam contrahent. Respondetur in primis, solum illum vel illas personas illud contrahere, quæ sunt designatae specialiter ad hoc munus, per eos ad quos eas eligere vel designare spectat, et per parochum ad idem munus fuerint admissæ; unde omnes illi, qui specialiter designati non sunt, non contrahunt impedimentum. Deinde, si ex ignorantia vel malitia plures fuerint designati, quam possint juxta formam Concilii, ille tantum contrahet impedimentum, qui primo baptizatum suscepit, vel ad summum duo, si fuerint vir et fœmina. Nam revera illi tantum sunt susceptores, et reliqui jam non sunt capaces talis ministerii. Quod si fingamus plures simul designari et suscipere ultra formam a Concilio statutam, probabile est, neminem eorum contrahere impedimentum. Nam certe videatur, nullum esse ibi verum ac legitimum susceptorem, quia nullus exercet munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutum est; et ideo fit probabile, nullum contrahere impedimentum, quia hoc jam limitatum est ad illum, qui fuerit, vel totalis susceptor, vel ita partialis, ut solum habeat alium socium diversum in sexu; in eo autem casu nullus est hujusmodi susceptor. Nihilominus aliis probabile videri potest, in eo casu omnes contrahere cognationem, et Concilium esse intelligendum, si servetur forma ab ipso præscripta, vel certe moraliter ac regulariter loquendo; quamquam non ita videtur consentaneum verbis Concilii; nam simpliciter excludit hoc impedimentum, quando non servatur forma ab ipso præscripta, ut inferius iterum dicam. Sed, quamvis hoc sit probabile, quia res est dubia, et ab aliis hactenus hoc explicatum non est, non esset hoc facile consulendum, sed abstinenter potius ab hujusmodi matrimonio, saltem propter dubium.

5. Secundo explicat Concilium, respectu quarum personarum contrahat susceptor hujusmodi impedimentum, et tres tantum personas numerat, scilicet, baptizatum ipsum, et patrem et matrem ejus. Itaque si susceptor contrahat matrimonium cum fœmina bapti-